

Johann Cothmann Johannes Beccerus

## **Disputatio Theologica Anniversaria. De Libero Arbitrio**

Rostochi[i]: Pedanus, 1631

**<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn739720805>**


Druck Freier  Zugang



Kart. : J. W. Beccerus

F. Cöthmann.

R. U. theol. 1637.



Disputatio Theologica  
Anniversaria.

De

# LIBERO ARBITRIO.

Qua

S. S. Trinitate annuente  
Praeside

JOHANNE COTHMANNO


S. S. Theologiae Licentiatō &  
Professore Publico,

Respondente

JOHANNE-VVILHELMO BECCERO  
Lennepā VVestphalo

Publicè instituetur in auditorio Boreali

30. Julij



ROSTOCHI

Typis JOACHIMI PEDANI Acad. Typ.

Anno M. DC. XXXI.

*Præstantiss. doctissq. Dn. Nicolao Boddeero amico  
et factori meo nullam honorandis militi R.*

1631



VIRIS

*Amplissimis, Consultissimis, probitatis, prudentiæ, Doctrinæ, & Eminentiæ splendore præcellentissimis,*

DOMINIS CONSULIBUS

ET

TOTI ORDINI SENATORIO

laudatissimæ Reipubl. LIPPIENSIS  
spectatissimo, ac dignissimo,

*Dn̄. fautoribus, ac promotoribus meis  
æternum mihi suspiciendis ac  
honorandis,*

In certum gratitudinis *πικρῆλον*, & æ-  
pertum commendationis *ὀρμητῆλον*



Publicam hanc exercitatio-  
nem Theologicam

D. I. C. O.

*Johannes - Wilhelmus Beccerus,  
SS. Theologiæ Studiosus.*



*Phil. 2. vers. 13.*

ὁ θεὸς ἐστὶν ὁ ἐνεργῶν ἐν ὑμῖν καὶ τὸ θέλειν  
καὶ τὸ ἐνεργεῖν

Περὶ αὐλίου



*Augustinus in vestibulo. Lib. 4. de*

*Trinit. eleganter ac præclare ait: Eos, qui  
γνώθῃ σεαυτὸν diligenter perpendant, & suæ  
sint infirmitatis conscij, rectius facere, quam  
illos, qui rerum naturam & motus, distan-  
tiasq; siderum metiuntur. Hi enim ad na-  
turam illi agnitâ suâ miserâ ad servatorem Dominum, qui pi-  
gnus est salutis nostræ, confugere discunt. Quod cum sit ve-  
rissimum, animus est annuente altissimo, Quæstiones binas de  
libero hominis arbitrio repetere, ut illarum explicatione nos-  
met ipsos rectius agnoscere ac vero modulo ac pede metiri disca-  
mus. Nam vere agente Chem. in Exam. concil. Trident.  
Loco de Libro Arbit. p. 113. rectè explicatus hic locus ho-  
minem in seriam agnitionem sui, & ad veram humilitatem de-  
ducit: ut agnitis morbis & infirmitatibus, intelligat quare,  
quomodo, & quanto opere opus sibi semper sit medico filio Dei.  
Operæ pretium igitur, ut modò dictum, nos facturos arbitra-  
mur συμφιλολογίαν publicam Quæstionibus duabus inclusam  
hac de materia instituere. Quod ut fiat in Dei solius laudem  
& honorem, Ecclesiæ commodum & studiorum nostrorum emo-  
lumentum & incrementum, adsit ille nobis, sine cujus numine,  
nihil est in homine.*

## Quæstio Prima.

*An homo non reatus libertatem habeat arbitrij in rebus naturalibus, civilibus, & Ecclesiasticis, quo ad disciplinam externam consideratis?*

1. Piscator, Keckermannus, imò ipse Calvinus, quamvis sententiam illam, de fatali rerum omnium quæ sunt necessitate à se declinare velint; protestatio tamen verbis est contraria, dum ajunt: Dei providentia non solum fiunt, quæcunq; fiunt, verum etiam, eodem plane modo quo fiunt, causa enim definitæ & indefinitæ à Dei providentia, tanquam à prima causa dependent. Item: spectata Dei voluntate & decreto, omnia infallibili & immutabili necessitate fiunt. Et si enim cause secundæ suæ natura definitæ, in utramque partem vel ad aliquid eligendum vel respuendum propendunt: ea tamen à Deo ad unam tantum partem, in æterno ejus consilio definitæ sunt, & suo tempore ad hanc ipsam partem à Deo inclinantur. Uti piscator hac de re totidem verbis disserit vol. 1. disp. Loc. 6. de provident. th. 106. 109. 110.

2. Keckermannus in Systemat. Theol. p. 116. in eandem sententiam inquit: Respectu providentiæ divinæ omnia fiunt & sunt necessario. Necesario autem id fieri dicitur, quod impossibile est non fieri.

3. Ab hisce non dissentit Calv. Lib. 1. Instit. cap. 16. §. 6. 9. ajens: in dubiè sic habendum est, quæcunq; cernuntur in mundo conversiones ex secretâ manus Dei agitatione prodire. Item: arcano Dei consilio, alij extolluntur & ad honores emergunt; alij vero in sordibus jacentes & contempribiles manent.

4. Licet verò in actionibus merè spiritualibus, sicut volente Deo Quæst: Sequentæ dicitur, voluntatis nostræ nulla sit libertas.

bertas; hinc tamen in uniuersum liberum arbitrium, homini non renato, in rebus externis civilibus, & Ecclesiasticis, denegari non potest. Quod probatur de actionibus externis civilibus, cum expressis scripturae sacrae locis, tum rationibus in natura fundatis, evidentibus.

5. Loca scripturae sacrae potiora haec sunt. Gen. 24. v. 58. uisne proficisci cum hac viro, & dixit proficiscar. Num. 30. v. 13. vir ejus stabilito obligationem aut irritam faciet illam. I. Sam. 24. v. 5. Deus tradidit inimicum tuum in manum tuam, ut facias ei quemadmodum videbitur in oculis tuis. 2. Sam. 24. v. 12. erium tibi datur optio. I. Reg. 3. v. 5. postula quod vis Act. 5. v. 4. venundatum in tua erat potestate. Act. 27. v. 31. nisi hi in navi manserint, non possunt &c. I. Cor. 7. v. 37. non habens necessitatem, sed potestatem propriae voluntatis.

6. Ex quibus scripturae locis ita inferimus: ubi datur libertas agendi & non agendi, hoc vel illud eligendi & non eligendi, ibi utiq; liberum datur arbitrium. At in actionibus externis civilibus datur libertas agendi & non agendi, hoc vel illud eligendi &c. vi. locorum allegatorum. Ergo in iisdem datur liberum arbitrium.

7. Rationes, ex quibus idem probatur, praeter experientiam (ut quisq; nostrum facile in semetipso experitur) numero multae ac pondere graves sunt, consideremus ex multis paucas. Si omnia fiunt infallibili & immutabili necessitate ratione divinae providentiae, frustranea erunt omnes ad virtutum studium admonitiones, & à vitiorum tramite dehortationes. Locus itidem non esset praeiorum & penarum civilium &c. At consequens absurdum esse quis non animadvertit? Ergo & prius. Connexio probatur: si omnia fiunt immutabili & in evitabili necessitate ut loquitur piscator loco supra Thes. x. allegato,



vel ut idem ait Loc. 4. de libero Arbit. thes. 7. si arcano Dei consilio & providentia homo ad objecta eligenda vel repudianda flectitur; sive id fiat à Deo immediate, sive per media eaq; vel bona, vel mala &c. *Quid profuit Jehovam Cainum à fratricidio Gen. 4. v. 6. Christum Judam à prodicione Matth. 26. v. 24. & Petrum ab abnegatione Mar. 14. v. 30. dehortari!*

8. Cui bono Magistratus civilis leges proponit, præmia promittens obedientibus, ac pœnas statuens transgredientibus Rom. 13. v. 3. 4. cum alius vivat juxta virtutem immutabiliter, & necessitate aliqua inevitabili, ita ut vitia sectari nequeat: alius vero ita vitiorum cæno sit immersus ut similiter aliter agere non possit.

9. Et si arcano Dei consilio, ut ante loqui audivimus Calvinum, alij extolluntur & ad honores emergunt, alij autem contemptibiles manent & in sordibus jacent, cur itaq; scholarum moderatores tanta industria suæ curæ commissam juventutem ad virtutem adhortantur, & à vitijs dehortantur?

10. Expendat quæso, in timore Domini mens Christiana numne hæc assertio fores bipatentes, multis erroribus pandet? Si enim cuncta ex secretâ manus Dei agitatione procedunt, & inevitabili & immutabili, necessitate contingunt, ita ut natura causarum secundarum à Deo in æterno illius consilio ad hanc partem inclinetur, nunquid cogitare etiam renatorum aliquis in tentatione constitutus jure possit, Deum se ab æterno absolutè reprobasse, salutis mediâ non sibi esse data? Summa: Christum cum univærsis generi humano acquisitis beneficijs nihil ad se attinere, cum inclinationem illam Dei, ad bona illa spiritualia percipienda non sentiat, sed potius cum psalte ex Psalm. 31. v. 23. dixi in festinatione mea, excisus sum in conspectu oculorum tuorum, af-  
firmet

firmer, ut brevitatis causa multa alia praterreamus. Atq̄ hæc pro ratione instituti quod scil. homini libertas quædam agendi & non agendi in actionibus externis civilibus supersit dicta sint.

11. Superest, probemus eadem libertate hominem non dum regentem gaudere in actionibus Ecclesiasticis ut videl. homo irregentis sibi relictus, possit vel non possit frequentare templum, externe audire verbum Dei, illudq̄ legere & meditari. Sive, ut Form. Concord. p. 671. ait. Hoc Dei verbum homo, etiam nondum ad Deum conversus nec renatus externis auribus audire aut legere potest. In ejusmodi enim externis rebus, homo adhuc etiam post lapsum aliquo modo liberum arbitrium habet: ut ad cætus publicos Ecclesiasticos accedere, verbum Dei audire, vel non audire possit.

12. Assertionem verò hanc confirmamus cum claris scripturæ dictis, tum dilucidis ex eadem petitis exemplis. scriptura testis est homines non regentis scripturam sacram legere. 2. COR. 3. v. 14. ita ut babeant Zelum quendam, sed non secundum scientiam. ROM. 10. v. 2. Quod desiderio verbum Dei audiendi à mari uno ad alterum vagentur AMOS 8. v. II. & è singulis civitatibus verba Christi auscultatum veniant. LUC. 8. v. 4. Dei decreta enarrent ac fœdus ejus in ore suo assumant. psal. 50. v. 16. labijs suis Domino appropinquent. Esa. 29. v. 13. semper discentes. 2. Tim. 3. v. 7. & ad vitæ æternæ portam intrare quærentes LUC. 13. v. 24.

13. Exempla eandem rem confirmantia potiora hæc sunt, Herodis Johannem concionantem idèus audientis Marc. 6. v. 20. Sergij proconsulis sermonem Dei audire desiderantis. Act. 13. v. 7. philosophorum Atheniensium in doctrinam pauli inquirentium. Act. 17. v. 20. 32. Mentz. in Exeg. p. 235. huc refert exemplum Augustini adhuc Manichæi: Ambrosium.

Brofium Episcopum Mediolani audientis, vide ipsum Aug.  
Libr. 5. confess. cap. 13.

14. Ex quibus scriptura locis & exemplis satis elucescit  
externum verbum Dei audiendi studium in viribus arbitrij  
hominis nondum regenerati, adhuc residere, proinde non omnia  
necessitate aliqua inevitabili & infallibili contingere, cum li-  
bertas agendi & non agendi, in rebus externis homini ad-  
huc sit reliqua.

15. Hic si regeras Deum omnes res præscire, & præscien-  
tiam ejus esse infallibilem, proinde res necessario evenire.  
Nam si aliter contingerent, quemadmodum Deus præsciret,  
Dei præscientia falleretur. Resp. concedendo Deum in præ-  
scientiâ sua nequaquam falli, cum sit Deus omniscius conf.  
Joh. 21. vers. 17. Act. 15. vers. 18. Joh. 6. v. 64. Hinc  
autem inferre nefas est, omnia necessitate aliqua inevitabili  
& immutabili contingere. Nam, præscientia Dei, qua talis,  
rebus præscitis non imponit aliquam necessitatem, nec rerum  
præscitarum causa est; sequerentur enim aliâs hæc absurda.  
1. res omnes ab omni æternitate à Deo prævisas ab æterno exi-  
tisse, cum posita causa in actu nec impedita sequatur semper  
effectus. 2. Deum quoque peccatorum aliarumque actionum mala-  
rum, cujuscunq; tandem nominis essent auctorem censendum,  
cum illa omnia prævideat.

16. Quæ cum partim sint ἐκ τῶν ἀτόπων; partim verò ἐκ  
τῶν ἀθεοδυσίων, concludimus sicut Astrologus non est causa  
prævisa & prædictæ eclipses, neque medicus morbi, nec Nau-  
varcha tempestatis; ita nec Dei præscientia rerum prævisa-  
rum causa est.

17. Unde Hunnius Loc. de provid. p. 704. rectè ait:  
Hic te scire velim, non quia Deus hoc vel illud præscit, ideo  
sic evenire, sed quia ex alijs causis propinquis vel in natura,  
vel

vel hominis voluntate positus, res eventurae erant, idq̄ con-  
tingenter; ideo videt. Quae si aliter evenirent, sicut aliter e-  
venire poterant, hoc ipsum vidisset Deus. Quoniam ergo vi-  
det Dominus res ut eveniunt (sive hoc, sive alio quocunq̄ modo  
cadant) ideo falli Deus, omniscius quippe; in sua praescientia  
nequit.

18. Piscator loco supra Thef. i. allegato rationes suae  
sententiae adducit quatuor, quas ordine considerabimus. 1. cer-  
tissima est, inquit, infallibilis, distincta eaq̄ aeterna rerum om-  
nium futurarum in Deo praecognitio. Ergo omnia necessitate  
inevitabili eveniunt: alioquin Dei providentia falleretur  
Resp. confunduntur in argumento Dei praescientia & hominum  
actiones; dicente enim B. Hunnio loco allegato: manes est contra  
fixum hoc inter Deum qui videt, & res quae videntur, infini-  
tum esse discrimen. Etenim Deus videt necessario, quia non  
potest, non videre ac scire universa. At res quae videntur  
non necessario sunt, sed poterant se habere aliter. Nec ta-  
men si aliter contingerent, ideo falleretur Deus in scientia sua:  
id ipsum enim videret Deus non hoc, quo jam sunt, sed alio  
modo eventuras Hec Hun.

19. Nulla itaq̄ consequentia: aeterna rerum omnium futu-  
rarum in Deo est praecognitio. Ergo omnia propter illam  
praecognitionem immutabiliter contingunt. Nam licet omnia  
a Deo praevisa, praevisionis respectu infallibiliter contingant,  
cum res praescita eo modo eveniant (propter praescientiae divinae  
veritatem certitudinem & infallibilitatem) quo praescitae sunt;  
non tamen causaliter, quasi praescientia res hoc & non alio mo-  
do evenire faciat, id intelligendum: sed tantum conditionaliter,  
quatenus Deus omniscius, non aliter res praescivit, quam pro-  
ut ex causis suis propriis & quidem liberè sunt eventura. Vide  
Hutt. in L. c. p. 256. 257. qui exemplo rem hanc illustrat:

B

video,

video inquit, claudicare petrum, id dum video, necessum utiq;  
est, rem ita se habere, quia visio non fallitur: & quia claudicatio  
illa in actu, certe non potest dici non esse: sed necessum est, esse:  
veruntamen petrus non propterea dicendus est claudicare, quia  
ego illum claudicare video: visione enim mea nec impellitur il-  
le, nec necessitas claudicandi ei imponitur, quippe qui claudi-  
caturus esset à me non visus: & poterat non claudicare, si ali-  
ter se haberet causa propria & naturalis: quæ tamen si aliter se  
fuisset habitura hoc ipsum ego quoq; & non diversum visurus  
fuissem &c. Hac Hurr. concludimus autem ex hæcenus di-  
ctis quod præscientiæ divinæ infallibilitas, veritas & certitudo,  
cum rerum præscitarum contingentiâ subsistere possit. Cum  
non sint contradictoriè opposita, sed tantummodo ad hæc subor-  
dinata, ut loco allegato Hurrerius inquit. Atq; hæc de primo  
piscatoris argumento dicta sufficiant, sequitur secundum.

20. 2. Nihil in mundo potest fieri, quod non fiat Dei vo-  
luntate & decreto, atq; consilio ejus æterno. Atqui omnia de-  
creta Dei sunt immutabilia, eoq; ut tandem perficiantur in e-  
virabilia. Consequitur ergo, spectata Dei voluntate & de-  
creto, omnia infallibili & immutabili necessitate fieri. Re-  
spondemus cum B. Hun. Loc. de provid. p. 704. distin-  
guendo inter res ipsas quæ sub Dei præscientiam cadunt. Quæ-  
dam enim sunt in solius Dei arbitrio potestateq; posita, quas  
& prævidet, & ut fiant decernit. Eæ necessario sic eveniunt,  
non tam respectu præscientiæ Dei, quàm annexi decreti: velu-  
ti missio filij in carnem, resurrectio mortuorum &c. aliq; mul-  
ta. Quædam verò dependent à causis secundis, ut res natura-  
les, aut ab arbitrio voluntatis humanæ, quales sunt actiones  
hominum, quas præscit Deus, nec tamen immutabiliter decer-  
nit; imò malas hominum actiones prohibet potius, & velle, a-  
liter fieri; ideoq; secundum justitiæ suæ dictamen punit eas penit-  
tempo-

temporalibus, & nisi agatur penitentia etiam æternis. Hucusq; Hunnius.

21. Petitur itaq; principium in ratione hac secunda, dum pro confesso sumitur, quod in Quæstione adhuc positum; omnia scilicet in mundo Dei voluntate & decreto fieri: quod de peccatis alijsq; vitiosis actionibus verum esse pernegamus; hæ enim tantum abesse ut Dei voluntate & Decreto fiant, ut potius contra Dei voluntatem & decretum committantur vide 2. Cor. 6. v. 14. Hebr. 1. v. 9. Jac. 1. v. 13. I. Joh. 2. v. 16.

22. Alias actiones lege morali non prohibitas, quod attinet, Deus ita eas vult & decernit, ut naturam causarum secundarum in prima creatione inditam, non destruat. Idcirco, quoniam Jehova libertatem agendi & non agendi homini indidit, illam providentia sua & præscientia non abolet, sed potius conservat. Conservata autem rerum natura eventuum contingentia, ex natura promanans negari nequit.

23. 3. Piscator ita colligit: Deus ea, quæ vel maxime contingentia videntur, puta sortes, ita gubernat ut sorte nihil contingat, nisi quod æterno illius consilio decretum est. Quid igitur de alijs contendemus, ea respectu providentia Dei, necessaria non esse? Resp. Sortes quæ aliàs fortuitæ videntur, sub divina providentiæ ambitum pertinere & gubernationem ejus non effugere, rectè ex proverb. 16. v. 33. (ex quo loco objectio hæc formata) probatur. Quemadmodum idem, de re in oculis hominum longè inferiori, id est capillis, ex Matt. 10. v. 30. confirmari potest. Quæ autem consequentiæ ratio: fors sub providentiæ divina cadit ambitum, & a Jehova dirigitur, ut in abstrusis & dubijs rerum eventibus in quibus homines incerti ambigunt, veritas emergat. vide Ios. 7. v. 14. 1. Sam. 10. v. 20. 21. c. 14. v. 42. Jon. 1. v. 7. Act. 1. v. 26. ergo omnia contingunt necessitate aliqua inevitabili, Nam

licet Deus futuros eventus dirigat; hinc tamen necessitatem aliquam inevitabilem illis nequaquam imponit.

24. Verè enim dicimus cum Chem. de causa peccat. p. 398. extra omnem controversiam verum est, quasdam actiones habere causas necessarias, quasdam contingentes, id est tales quæ possunt mutari & aliter se habere; sicut ergo illa, quæ Deus præscivit eventura ex causis necessarijs eveniunt necessario, quia præscientia Dei non potest falli: ita quæ Deus prævidit ex causis contingentibus eventura, impossibile est ut aliter eveniant, quam per contingentiam. Alias enim falleretur præscientia Dei. &c. Quemadmodum itaq; divina præscientia rerum non tollit contingentiam, ita nec divina directio & gubernatio rebus inevitabilem & immutabilem quandam necessitatem imponit; utpote quæ rerum naturas sicuti supra dictum libertate præditas, ideoque liberè agentes non destruit, verum juxta conditionem suam & agendi facultatem conservat.

25. Quartum & ultimum piscatoris, loco allegato, argumentum tale est: Quæ certò prædicuntur ea ut eveniant necesse est; quia alioquin certò prædicta non essent. Atq; infinita, quæ sua natura, & causis secundis spectatis, mera contingencia sunt, certò fuere à Deo prædicta. Ergo omnia ista necessario facta sunt ac fiunt. Resp. Dei prædictio humani arbitrij in rebus externis civilibus, non tollit libertatem; ita enim Jehova res futuras prædicte, quæ ratione foris (ex causâ liberâ & mutabili accidentes) in statu sua mutabilitatis positæ erant, quæ si aliter eventuræ fuissent, id ipsum quoque Deus vidisset.

26. Res ergo à Deo prædictæ & præscitæ (exceptis rebus à solius Dei arbitrio & voluntate dependentibus. vide Thef. 20.) suos sortiuntur eventus, quos ex natura sua & causa propinqua

qua libera habitura erant, & non dependant à Dei vel prædictione vel scientia. Illa namq; rebus præscitis & prædictis per se nullam existendi inferre necessitatem, sed tantum postquam prædicta sunt, infallibilitatem à præscientia divina certitudine profectam. Deus enim omniscius prædicendo non fallitur, sed ab omni aeternitate scivit, qualem quæq; res eventum habitura sit. quod ut magis pateat exemplo, Quæstioni huic finem imposturus, rem hanc illustrabo.

27. Prædicit Jehova 2. Sam. 12. v. II. 12. incestum Absolonis. Et prædictioni eventus ex asse correspondet ut cap. 16. v. 22. ejusdem libri videre est. Jam Quæstionis est? num incestus Absolonis ob divinam prædictionem & omniscientiam fuerit necessarius, & annon Absolon potuerit incestum illum intermittere. Ad primum respondendum, nequaquam ob divinam præscientiam & prædictionem incestum illum esse commissum. Quæ ratione enim Deus castissim9 tantu peccatum abominas, ideoque lege sua expresse sub cõminatione pœne aeternæ prohibens Lev. 18. v. 7. 8. præscientia sua illud faceret necessarium!

28. Numne itaq; Absolon actionem illam abominandam intermittere potuit? Resp. utiq; & si id facturus fuisset Absolon, id ipsum quoq; Deus omniscius prævidisset. Illa igitur intermissione divina scientia certitudo & veritas, periclitata minimè fuisset. Atq; hæc pro ratione instituti de Quæstione hac prima dicta sunt.

### Quæstio Secunda.

Num homo irrogenitus in rebus pure spiritualibus liberum habeat arbitrium, ita, ut ad sui ipsius conversionem efficaciter concurrere possit?

11. Posteaquam Quæstione prima arbitrij humani libertas in actionibus externis civilibus & Ecclesiasticis, asserta & de-



fensa fuit: quaritur ulterius numne homo irrogenitus, eadem in actionibus purè & merè spiritualibus gaudeat libertate, ut à gratia Dei præventus, possit Deo cooperari, & credendo, fidendo, aliâq; pietatis officia assumendo sese præparare, ut Costerus in Enchirid. p. 200. loquitur

2. Bellar. Libr. 6. de Grat. & Libr. Arbit. cap. 15. ad hanc Questionem respondet: homo, inquit, ante omnem gratiam liberum habet arbitrium, non solum ad opera naturalia & moralia, sed etiam ad opera pietatis & supernaturalia. Et patres concilij Tridentini Can. 4. Sess. 6. ajunt: Si quis dixerit, liberum hominis arbitrium à Deo motum & excitatum, nihil cooperari assentiendo Deo excitanti atq; vocanti, quo ad obtinendam justificationis gratiam se disponat, ac præparet, sed veluti inanime quoddam, nihil omnino agere, merèq; passivè se habere: anathema sit.

3. Ex quibus adversariorum nostrorum testimonijs, evidenter satis elucescit, quenam illorum in præsentî negotio sit sententia; scil. per lapsum equidem Adami liberum arbitrium esse nonnihil ligatum & impeditum, quemadmodum Bellar. Lib. 6. de Lib. Arbit. cap. 15. loquitur (quod & simile Costeri in Enchirid. p. 200, de homine in foveam prolapsò & funem porrectum manu sua apprehendente & quicquid in se fuit pro viribus præstante & cooperante donec inde extrahatur indicat) verum si per gratiam prævenientem impedimentum illud removeatur, posse tum hominem ex viribus proprijs & connatis sese convertere, opera pietatis exercere, Deumq; diligere, & in Christum credere.

4. Quam sententiam doctrinæ prophetice & Apostolicæ in Ecclesijs nostris sonanti contrariam esse, ex Form. Concord. ipsam doctrinæ Prophetice & Apostolicæ medullam & nucleum repetente p. 656. patet, Ita enim illa loquitur: hominem ex lapsu

Lapsu primorum nostrorum parentum ita penitus corruptum esse, ut in rebus spiritualibus, quæ ad conversionem & salutem nostram spectant, natura cæcus sit, & verbum Dei prædicatum neq; intelligat, neq; intelligere possit, sed illud ut rem stultam judicet & nunquam à seipso ad Deum appropinquet, sed potius inimicus Dei sit & maneat, donec virtute Spir. S. per verbum prædicatum & auditum, ex mera gratia, sine omni sua propria cooperatione convertatur, fide donetur, regeneretur & renovetur.

5. Confirmatur verò hæc veritas multis Scripturæ S. locis, quæ melioris ordinis & intelligentiæ ergò, tribus includemus classibus. Prima classis illa considerabit scripturæ loca, in quibus cor nostrum ante conversionem in spiritualibus dicitur lapideum. Ezech. II. v. 19. c. 36. v. 26. Zach. 7. v. 12. Cecum Eph. 4. v. 18. in circumcisum Act. 7. v. 51. incrassatum. Matt. 13. v. 15. in sciens Rom. I. v. 21. pœnitere nescium, Rom. 2. v. 5. cujus operationes mala sunt Gen. 6. v. 21. Matth. 15. v. 19. Argumentum verò pro sententia nostra ex locis illis formamus ejusmodi: Quicquid in se & naturalibus suis viribus consideratum est lapideum, cæcum, incircumcisum, incrassatum, in sciens, pœnitere nescium, illud in rebus spiritualibus ad sui conversionem, ex viribus proprijs nequit cooperari. At cor humanum, est tale, ut loca allegata testantur. Ergo. Et per consequens homo in rebus mere spiritualibus, non habet liberum arbitrium.

6. Excipit Bellar. Libr. de Grat. & Libr. Arb. cab. 13. inquiens: Liberum arbitrium non est cor lapideum neque carneum, sed vis quædam media & naturalis, quæ formam lapidis, id est peccati duritiem, & formam carnis, id est gratiæ teneritudinem recipere potest. Resp. concedimus liberum arbitrium non esse cor lapideum, sed potius liberi arbitrij in spiritualibus

irritabilibus oppositum, adeo ut ubi cor lapideum sit, omnis ad gratiam Dei recipiendam absit libertas & cooperatio. Quomodo enim in corde lapideo, daretur in rebus mere spiritualibus ex viribus naturaliter reliquis συνεργεια & cooperatio. Num lapis naturaliter vim quandam mollescendi habet?

7. *Ac regeat Bellar. loco allegato: cor lapideum, inquit, non habet ex se potestatem, qua se convertat ad Deum, & fiat carneum, sed eam recipit per gratiam Dei pervenientem. Resp. quod veteres de sui temporis hereticis dixerunt: ὁμοια πρὸς λαλῶσι ἀνομιῶσι δὲ ἑσθῶσι idem de Bellarmin. cum in hac, tum argumento nostro secundo opponenda, exceptione merito dicere possumus; quod scil. diversum à nobis sentiens Bellar. (quod post modum probabitur) nostram tamen utatur linguam. Verum etenim est cor lapideum, id est hominem per peccatum corruptum non habere ex se potentiam ullam qua se ad Deum convertat. Quando vero illam recipit per gratiam Dei pervenientem, non jam amplius agit homo ex viribus propriis, sed virtute & viribus per Spiritum S. communicatis, qua de re inter nos & adversarios Quæstio non est. Non enim controversatur, num homo postquam per Spir. S. regeneratus est, in rebus spiritualibus cooperetur, Sed ut Form. Concord. p. 655. ait: hic est verus & unicus controversiæ status: quid hominis nondum renati intellectus & voluntas, in ipsa conversione & regeneratione ex propriis suis, & post lapsum reliquis viribus præstare possit. Hic si candidus esset Bellar. ac fateretur hominem sibi relictum ex se & viribus propriis sese non convertere; licet, postquam per Spir. S. regeneratus, ac viribus novis donatus ex iisdem viribus novis; non vero in natura hominis adhuc latentibus, Cooperetur; nullam ipsi moveremus litem, sed de hac exceptione in argumento nostro secundo dicetur uberius.*

8. Secunda classis illa expendet Spir. S. effata, in quibus homo ante suam ipsius conversionem in peccatis dicitur non tantum languidus, ægrotus, aut infirmus, sed planè mortuus. vide. Matt. 8. v. 22. Luc. 9. v. 60. c. 15. v. 24. Joh. 5. v. 25. Rom. 6. v. 13. Eph. 2. v. 1. 5. col. 2. v. 13. I. Tim. 5. v. 6. Apoc. 3. v. 1. Unde argumentatio exurgit ejusmodi: spiritualiter mortuus ex viribus propriis in actionibus merè spiritualibus nequit cooperari, sive, non potest actiones vitales spirituales edere. At homo post lapsum ratione sui consideratus, ante regenerationem est spiritualiter mortuus, ut loca citata abunde testantur. Ergo ex viribus propriis in actionibus merè spiritualibus nequit cooperari, nec actiones vitales spirituales edere. Major argumenti ex definitione mortuis, certissima fidei est: cum enim mors, quæcumq; tandem illa sit, sive naturæ, sive gratiæ, sive gloriæ: totalis vitæ sit privatio, sequitur inde necessario, ut deficiente vita totaliter, nullus, nullus inquam locus sit actionibus vitalib<sup>9</sup>. Quod tam verum est ut Bellar. Lib. 6. de Libr. Arbitr. cap. 5. dicat: mortuus non se disponit ad vitam, nec potest, nisi vim aliquam vitalem ab excitatore suo recipiat.

9. Quia verò argumentum hoc nostrum, est valde illustrè & perspicuum, placet idem, uberioris declarationis gratiâ verbis Form. Concord. p. 658. significantissimis repetere, ita illa loquitur: Quin etiam sacræ literæ docent, hominem in peccatis non tantummodo languidum & ægrotum, verum etiam prorsus mortuum esse. Sicut igitur homo, qui corporaliter mortuus est, seipsum propriis viribus preparare, aut accommodare non potest, ut vitam externam recipiat: ita homo spiritualiter in peccatis mortuus, seipsum propriis viribus ad consequendam spiritualem & cælestem justiciam & vitam preparare, applicare aut vertere non potest: nisi per filium Dei à  
C moræ

morte peccati liberetur & vivificetur. Et p. 673. cum homo ante conversionem in peccatis mortuus sit: non potest in ipso aliqua vis ad bene agendum in rebus spiritualibus inesse. Itaque non habet modum operandi, seu agendi aliquid in rebus divinis.

10. Bellar. ut argumentum hoc nostrum robore suo privet, responderet, eodem recte quidem probari, peccatorem quia mortuus est, non posse ex se, aut suis viribus vitam recuperare, aut ullo modo ad vitam recuperandam se preparare. Non autem probat, ait, non posse eundem peccatorem per gratiam praevenientem excitatam & adjectam, Deo se ad vitam revocanti, cooperari. Idem enim non facit ut mortuus, sed ut vitalem virtutem à Deo habens. Hæc Bellar.

11. Resp. vis veritatis & argumenti hujus robur, eò adæque Bellar. ut recte quidem loquatur, quamvis vi propriarum hypotheseum male sentire teneatur. Verissimum est quod faceret Bellar. responsione suâ, non posse hominem ex se aut suis viribus vitam recuperare, aut ullo modo ad vitam recuperandam se preparare, nisi virtutem vitalem à Deo habeat. Idem enim & non aliud nos ex verbo Dei docemus. Ita enim liber nostrarum Ecclesiarum Symbolicus, Form. Concord. p. 674. loquitur: Quam primum Spiritus S. opus suum regenerationis & renovationis, per verbum & sacramenta in nobis inchoavit: quod revera tunc per virtutem Spir. S. cooperari possimus & debeamus: quamvis multa adhuc infirmitas concurrat.

12. Conciliet verò hanc suam assertionem Bellar. cum verbis Libri. 6. c. 15. libertas est quasi ligata & impedita, quod ibidem illustrat à potentia videndi specie sensibili absente. Item homo ante omnem gratiam habet liberum arbitrium ad opera pietatis licet potentia illa sit imperfecta. Et Libri. de Grat. prim. Hom. cap. 6. ex hoc spirituali latrocinio, nata sunt vulne-

vulnera naturæ nostræ. Unde patres concil. Trident Sess.  
6. Can. 4. hominem se ad obtinendam justificationis gratiam  
disponere ac præparare, nec se merè passivè habere affirmant.

13. Ex quibus testimoniis ipsa evidentia clarius perspici-  
tur, Adversarios nostros quod verbis concedere videntur, re  
ac ipso facto negare. Si quid enim tantum est ligatum & im-  
peditum, & potentiam ad opera pietatis exercenda imperfe-  
ctam ante omnem gratiam habet, ita ut ad obtinendam justifi-  
cationis gratiam se disponere ac præparare possit: cur non idem  
ex se & suis viribus agere & ad vitam recuperandam se præ-  
parare valeret, quod tamen Bellar. verbis externis negat.

14. Dixi conciliatione opus esse, ut utraq; Bellar. senten-  
tia subsistat, quod ut magis pateat, contradictionem Bellar.  
circa hoc negotium, proprijs illius verbis proponam. Homo pec-  
cator quia spiritualiter mortuus, non potest ex se aut suis viri-  
bus vitam recuperare, aut ullo modo ad vitam recuperandam  
se præparare. Et: mortuus non se disponit ad vitam. Item:  
Homo ad obtinendam justificationis gratiam se disponere ac  
præparare potest. Et libertas ejus ante omnem gratiam est  
tantum ligata & impedita, Unde potentiam ad opera pietatis  
exercenda imperfectam habet. Hæc Bellar. contradictio tum  
conciliabitur, quando simul stare posse has propositiones: Ho-  
mo est mortuus; & tamen operationes quasdam vitales exer-  
cet, probabitur.

15. Ut vero Bellar. responsioni suæ tincturam aliquam &  
colorem addat, subjungit, argumentum nostrum non probare  
peccatorem, per gratiam prævenientem excitatum & adjutum  
Deo se ad vitam revocanti non cooperari. Quibus verbis id in-  
dicat, remanere in homine vires, quæ si à gratia Dei exciten-  
tur, posse tum hominem viribus illis in naturâ residuis, & per  
gratiam prævenientem excitatis & adjutis cooperari. Id autem

falsissimum esse, argumentum nostrum evicit; quas enim qua-  
so vires proprias homo mortuus ad sui resurrectionem conferre  
valet? V. G. revocatur Lazarus à Christo in vitam. Joh. 11.  
v. 44. numne Lazarus Christo se in vitam revocanti coopera-  
tus est? minime gentium. At Lazarus in vitam jam revoca-  
tus, utiq; actiones edidit corporales, ex viribus non in natura  
residuis sed de novo sibi à Christo communicatis. pari ratione  
homo in peccatis spiritualiter mortuus, nihil potest in actio-  
nibus pure spiritualibus cooperari. Et quamvis à gratia Dei  
præveniatur & convertatur, non tamen ex nostris carnalibus  
& naturalibus viribus id dependet (præsupponitur enim ho-  
minem esse verè spiritualiter mortuum) sed ex novis illis viri-  
bus & donis per Spir. S. gratiam accensis. Quemadmodum enim  
renati sunt nova creatura. 2. COR. 5. v. 17. & cor novum ha-  
bent. Psal. 51. v. 12. ita per novitatem Spiritus Deo serviunt.  
Rom. 7. v. 6. & ut filij lucis ambulant. Eph. 5. v. 8. Atque  
hec de prima Bellar. exceptione ad argumentum nostrum dicta  
sufficiant. Restat altera ejus responsio breviter examinanda.

16. Adde, inquit Bellar. quod similitudines non in omni-  
bus conveniunt. Quare tamen si cadavera propriè dicta, quo-  
niam omnibus modis mortua sunt, nec ullum vitæ genus reti-  
nent, nullo modo cooperentur ad suam excitationem: tamen  
qui sunt mortui in peccatis quoniam vivunt vitæ naturæ, licet  
non vivant vitæ gratiæ poterunt non ut mortui, sed ut vivi u-  
no genere vitæ cooperari, ad suam vivificationem, secundum  
alterum genus vitæ, si virtutem cooperandi receperint.

17. Resp. licet homo spiritualiter mortuus vitam natura-  
lem adhuc dum habeat, illà tamen sui ipsius conversionem (quæ  
non vitæ naturalis, sed solius Dei opus & effectum est vide  
Ezechel. 36. v. 26. Act. 16. v. 14. Phil. 1. v. 29. Deut. 29.  
v. 3. 4.) non promovet sed externa tantum conversionis media.

ad-

exhibet, quibus si homo convertendus ritè & modo debito uti-  
 tur, Spiritus S. quod suum esse agit; hominem scil. convertit:  
 & cor novum in illo creat. Ezech. II. v. 19. Jer. 31. v. 18. c.  
 32. v. 30. Vita itaq. naturalis longè inferioris conditionis est,  
 quam ut ex inde vita Spiritualis, cujus auctor & dator solus  
 Deus est, Joh. II. v. 25. proveniat. Num effectus causa  
 potest esse præstantior? aut virtutem suæ causæ excedit? An-  
 non scriptura de hominibus vitam naturalem tantum habenti-  
 bus affirmat, quod sint caro de carne. Joh. 3. v. 16. quæ my-  
 steria fidei non revelet. Matt. 16. v. 17. sed potius sibi relicta  
 inimicitia sit adversus Deum Rom. 8. v. 7. quæ enim sunt spi-  
 ritus Dei stulticia illi sunt, nec potest res spirituales cognosce-  
 re. I. Cor. 2. v. 14. Itaq. in discursu Bellar. Elenchus causæ  
 committitur, dum hoc modo colligitur. Homo spiritualiter mor-  
 tuus, vitam vivit naturalem. Ergo in actionibus mere & pure  
 spiritualibus potest cooperari. perinde si quis ita inferret: ar-  
 bor animam habet vegetantem. Ergo potest videre. Item; be-  
 stia anima præditus est sentiente. Ergo potest ratiocinari.  
 Quemadmodum enim anima vegetans à sentiente, & sentiens à  
 rationali est distincta; ita quodq. discreta singularum sunt ope-  
 rationes. pari modo ut vita naturalis à spirituali realiter  
 distincta est; similiter quoq. distinctæ cujusvis sunt actiones  
 per modum causæ & effecti à se invicem non dependentes. ut ex  
 hætenus dictis ἀνευ προεμαρτος judicanti obvium est. Et  
 hæc de secundo sententiæ nostræ argumento hætenus dicta sunt.  
 sequitur Tertium & ultimum.

18. Tertia scripturæ sacræ classis illa Spiritus S. oracula  
 consideranda proponit, in quibus homines irrogeniti & à Spir.  
 S. nondum illuminati dicuntur non solum in concreto obrene-  
 brati. Rom. I. v. 21. Eph. 4. v. 18. sed & in abstracto (quo  
 juxta hebræos gradus superlativus innuitur vide. 2. Cor. 5.



v. 21. Gen. 12. v. 3. Act. 24. v. 5.) tenebræ. Joh. 1. v. 5. Eph. 5. v. 8. Act. 26. v. 18. Luc. 1. v. 79. & in spiritualibus cæci & stulti Matt. 23. v. 17. Tit. 3. v. 3. Gal. 3. v. 1. 3. qui non possunt bona loqui Matt. 12. v. 34. Ex quibus locis ita argumentamur: Qui in spiritualibus non solum sunt obtenebrati sed & tenebræ cæci & stulti, adeo ut non possint bona loqui. Illi utiq; libero arbitrio carent. At prius verum est de hominibus sibi relictis, ut ex locis allegatis videre licet. Ergo.

19. Propositionis Majoris veritas inde manifesta est, quod impossibile sit, privationem totalem quodammodo cum habitu posse consistere: Cum affirmata privatione perfecta & totali, planè negetur habitus. Quia itaq; de homine irregenito affirmatur privatio ut: tenebræ, cæcitas, stultitia &c. de eodem lux & spiritualis illuminatio & intelligentia nullo modo ne ex parte quidem affirmatur. Dicentibus namq; philosophis:  $\sigma\epsilon\gamma\rho\sigma\iota\varsigma\ \epsilon\sigma\tau\ \tau\eta\varsigma\ \epsilon\zeta\epsilon\omega\varsigma\ \alpha\ \pi\omicron\beta\omicron\lambda\eta$ . Unde scriptura sacra emphaticè privationem habitui opponit. Eph. 5. v. 8. eratis quondam tenebræ, nunc autem lux in Domino.

20. Atq; hæc pro ratione instituti nostri de sententiæ nostræ cõfirmatione dicta sunt. Quia vero adversarij nostri in hac materia admodum sunt seduli, coronidis loco nonnulla illorum fundamenta quibus in tam arduo negotio confidunt, perlustrabimus. prememus autem Bellar. vestigia ex lib. 6. cap. 10. ubi quatuor sententiæ suæ argumenta habet, quæ ordine considerabimus.

21. Primum fundamentum ex illis desumit locis ubi homines dicuntur operatores & adiutores. Matth. 20. v. 8. 1. Cor. 3. v. 6. in quo ultimo dicto Bellar. imprimis urget pronomen (suum) & nomen (adiutores.) Nam inquit, si labor dicitur noster certe nos ipsi Domini sumus illius actionis, quam laborando efficimus.

22. Resp.

22. Resp. ad locum Matth. 20. v. 8. Scopum parabolæ non esse, quamnam homines in rebus spiritualibus agendi habeant libertatem, verum monstrare ibidem vult Christus primos fore novissimos, & novissimos primos ut aperte colligitur ex v. ult. cap. 19. Et ex conclusione parabolæ cap. 20. v. 16. Extra hunc, quem Christus intendit scopum, si quicquam aliud colligitur, maxima militat Theologorum: Theologia parabolica, non est argumentativa.

23. At inquis textus tamen verbis conceptis homines vocat operarios. Resp. per operarios vel intelliguntur murmurantes sive impij, quorum oculus dicitur esse malus vers. 15. quique in regno cælorum erant novissimi id est nulli (Stylo enim scripturæ usitato, sæpe ex rei alicujus comparatione infertur negatio ut Matth. 5. v. 19. c. 21. v. 31. Luc. 18. v. 14. Joh. 3. v. 19.) stante verò illa hypothese recognoscatur Bellar. verba sua ex Libr. 6. cap. 13. liberum arbitrium non habet ex se, ut cooperetur ad suam ipsius conversionem, sed potestatem operandi accipit per gratiam prævenientem. Item, in eodem capite: sufficimus aliquid cogitare, imo etiam velle & facere, sed postquam vires à Deo accepimus. Item: Homo peccator, quia mortuus est, non potest ex suis viribus vitam recuperare, nisi per gratiam pervenientem excitatus. Et liberum arbitrium non habet ex se potentiam ullam, saltem proximam ad actus pietatis, sed eam accipit à Deo per gratiam prævenientem.

24. Quæ Bellar. sententia verbis satis dilucidis expressa, si vera est, quomodo impij murmurantes à gratia Dei nondum præventi (sic enim essent pi) in rebus pure spiritualibus possunt cooperari? Manet ergo, quod dictum est, in parabolis scopum esse attendendum & extra illum singulas parabolæ voces non esse nimis scrupulose urgendas. Quod multis si opus esset illustrari posset exemplis.

25. Sæ

25. Si vero operatiorum nomine indignantur pij. Respondet pro nobis Form. Concord. p. 674. Hoc ipsum verò quod cooperamur, non ex nostris carnalibus & naturalibus viribus est, sed ex novis illis viribus & donis, quæ Spiritus Sanctus in nobis inchoavit. Agnoscimus itaq; lubenter pios esse cooperatores. Vide. Quæst. hujus Thes. II. quia per Spir. S. sunt illuminati & voluntas illorum ita est collustrata, ut bonum operentur, non ex vi quadam naturaliter insita, sed Spir. S. eos inhabitantis gratia, I. Cor. V. 16. 17. c. 6. v. 19. conf. Thes. 15. hujus Quæst.

26. Ad secundum Bellar. locum data modo responsio repeti potest, de renatis ex Spir. S. gratiâ cooperantibus. Si tamen locus Pauli consideretur, antecedentia & ipse scopus evidenter demonstrabunt, non agere ibidem Apostolum de renatis seu pijs in genere, sed tantum de Ecclesiæ ministris, quibus & impij Ecclesiæ Doctores, V. G. Judas, gratiâ præveniente carentes, annumerandi sunt. Illi omnes in ministerio verbi Θεῶν ἐπιούρωται, non ex viribus proprijs; id enim insicias ite Apostolus loco allegato. v. 7. ajens: neque qui plantat est aliquid neq; qui rigat, videl. ex viribus proprijs naturalibus. Unde Idem Apostolus 2. Cor. 3. v. 5. inquit: non quod idonei sumus per nosmetipsos ad cogitandum quicquam velut ex nobis ipsis, se quod idonei sumus, id ex Deo est. Et postquam. I. Cor. 15. v. 10. se plus cæteris Apostolis laborasse dixerat ἐναργέτωσιν quandam subjungit: non ego tamen, inquit, sed gratia Dei. Ubi oppositio arguit Apostolum non operas suas distribuere, sed efficaciam sui ministerij in solidum Deo ascribere. Unde ait: gratia Dei sum, id quod sum.

27. Pronomen (suum) quod attinet, si inde probatur ministros esse laboris Dominos, qui actiones ministerij sua vi & virtute efficiant, pari modo colligo Paulum esse Evangelij & doctrinæ

doctrina à se tradita, imo ipsius Dei Dominum; dicit enim de Evangelio Rom. 2. v. 16. c. 16. v. 25. & doctrina 2. Tim. 3. v. 10. juxta Evangelium meum & doctrinam meam. Et ad Phil. 1. v. 3. gratias ago Deo meo. Quod cum pessima consequentia inde deducatur, respondemus laborem dici ministrorum, non quasi ministri propria & innata vi, aliquid in ministerio suo operentur, sed quia Deus per ministros agit 1. Cor. 3. v. 5. Joh. 17. v. 20. & per eorum ministerium efficax est Act. 21. v. 19. unde homines dicuntur salvare. 1. Tim. 4. v. 16. & Dan. 12. v. 3. מְצַדִּיקִים justificantes & Obad. v. 21. Salvatores appellantur. Quae attributa, non ex viribus humanis innatis seu propriis, sed ex Dei ordinatione dependent: placuit enim Deo per stultitiam praedicationis salvos facere credentes. 1. Cor. 1. v. 21.

28. Secundo argumentatur Bellar. ex locis quae imperante aut suadent hominibus opera pietatis & ipsam etiam conversionem. Zach. 1. v. 3. Joël. 2. v. 12. stultum enim esset imperare aut suadere ejusmodi opera ei, qui non haberet arbitrij libertatem. Resp. à Dei præcepto ad hominum potentiam seu facultatem argumentari non licet, nisi quis inferri posse statuat, filiam Jairi mortuam. Mar. 5. v. 41. filium viduae defunctum Luc 7. v. 14. à mortuis resurgendi potentiam habuisse, conf. Joh. 11. v. 43. Act. 9. v. 40.

29. Si quis querat, cur Jehova id à nobis requirat, cui præstando sumus impares. Resp. Deus justissimus meritò illud à nobis exigit talentum, quod prozoplastis nostris concedidit. Et quamvis ob virium nostrarum corruptionem, non sumus solvendo; Jehova tamen nullius sive crudelitatis aut injustitiae propterea arguitur: Perinde ut creditor exigendo debitum vide Matth. 18. v. 24. 25. cui solvendo ob contractum aes alienum debitor par non erat, injustitiae alicujus reus non agitur.

D

30. Mul.

30. Multi autem sunt fines, ob quos Deus etiam hodie id à nobis postulat; quod tamen in nostra potestate non est. Qui fines considerantur, vel ratione Dei, vel respectu hominum cum priorum tum impiorum. Ratione Dei, ut ostendat quanta dona protoplastis nostris concesserit, quidq; jure hodiernum à nobis flagitare posset. Et cum ad illa prestanda simus inepti, ut de alieno nobis prospiciendum esse auxilio admoneat. Ratione piorum quoq; usum habent. Illi namq; felicitatem primam in Adamo acceptam non solum exinde aestimant, sed & status presentis imperfectionem, maximam scilicet natura humanae corruptionem attentius considerare discunt, ideo ad preces devotas conversi cum. August. ex soliloq. c. 18. jugiter orant: Da Domine quod jubes & jube quod vis, non enim est currentis sed miserentis Dei. Nam dicente eodem August. Libro de Grat. & liber. Arb. c. 16. responsurus, ad argumentum pelagianorum quo magnum aliquid se scire putant, quando dicunt. Non juberet Deus quod sciret non posse ab homine fieri: Quis hoc nesciat? Sed ideo jubet aliqua quæ non possumus, ut noverimus quid ab illo petere debeamus. Ipsa enim est fides, quæ orando impetrat, quod lex imperat. Respectu impiorum usus harum admonitionem & præceptionum est, ut contumaciam illorum inhibeant, & ad conversionem paulatim flectant & quasi manuducant. Ita ut si media illa negligant à καὶ ἀσύντοιο reddantur, qui non habeant πρὸς Θεὸν quandam suarum prævaricationum, cum toties, ut ab illis desistant sint admoniti. Ex quibus jam dictis elucet, licet homo non habeat præstandi libertatem; non tamen stultum esse, ut ait Bellar. imperare aut suadere ejusmodi opera ei, qui non haberet arbitrij libertatem. Nam ut ipse Bellar. Lib. 2. de Grat. & lib. Arb. c. 3. ait: invitat Christus omnes ut veniant, non quod possint homines solis naturæ viribus venire, sed ut admoneat ne spiritui Sancto resistant.

31. Tertium Bellar. argumentum desumitur ex illis locis, qua docent nos à Deo juvari in operibus pietatis, cum propriè juvari dicendus non sit, qui nihil agit, sed qui laborat in agendo ut psal. 27. v. 9. adjutor meus esto. & psal. 70. v. 2. Deus in adjutorium meum intende. Rom. 8. v. 26. spiritus adjuvat infirmitatem nostram. Resp. dicta allegata statum controversiæ non attingunt; agitur enim in illis omnibus de renatis, & à morte spirituali Dei gratia resuscitatis. Renatos vero in vitam revocatos cooperari supra aliquoties concessum est. Vide Thef. 7. 15.

32. Adjuvat autem Deus renatos non vires proprias & connatas excitando, sed novas largiendo quibus mediantibus deinde cooperantur & actiones spirituales edunt. In specie tamen si loca ex Psal. 27. v. 9. & Psal. 70. v. 2. exactius discutiuntur, ipse contextus satis demonstrabit, psalmographum non de adjutorio in operibus pietatis, sed de auxilio externæ liberationis ex angustijs propriè & directè loqui. Vide Psal. 27. v. 3. 5. 7. & Psal. 20. v. 3. 4. Esto autem posse quoq; ad opera pietatis referri, sententiæ nostræ id non oberit, cum status controversiæ non sit de renatis sed irrogenitis. ut Thef. 31. dictum est.

33. Quartum testimonium sumit Bellar. ex ijs locis qua docent hominem à Deo vocatum posse non venire. Unde sine dubio hominem esse liberi arbitrij convincitur. Loca hujus sententiæ sunt prov. 1. v. 24. Matt. 23. v. 37. Act. 7. v. 51. Apoc. 3. v. 20. Resp. Homo licet non habeat agendi libertatem in bono, & rebus purè spiritualibus; habet tamen eandem in malo. Hominum enim tenebras diligentium opera sunt mala Joh. 3. v. 19. & à peccando cessare nesciunt. 2. Pet. 2. v. 14. Et cum sint mali, non possunt bona loqui, Matt. 12. v. 34. concludimus itaq; hoc argumentum verbis Meis. ex Antrop. disp. 22. th. 42. à potestate gratiam repudiandi, ad potestatem eam amplexandi in statu

statu peccati, non licet argumentari. potest homo, ex suis viri-  
 bus resistere, non potest verò ex iisdem assentiri, vel ad Deum  
 se convertere. Nos colophonem disputationi huic imponentes,  
 eterno patri nomine & fiducia filij unigeniti per spiritum san-  
 ctum devotas agimus gratias quod nos ex morte peccatorum &  
 à potestate tenebrarum eripere, inq; regnum filij sui dilecti  
 transferre dignatus est. COL. I. V. 13. Eundem submissè rogitan-  
 tes ut qui cepit in nobis opus bonum, perficiat usq; ad diem Jesu  
 Christi Phil. I. V. 6. quo cum omnib; beatis in trinunius Dei ho-  
 norem & gloriam, æternum Halleluja cantare valeamus A-  
 poc. 19. V. 4.

μὲν οὖν θεῶν δόξα


Ad Literatissimum DN. Respondentem.

<p> <b>G</b>RATA libertas quoties in orbis          Circulo grandi quatitur rui-          nã?          Impetu cives modò Mars feroci          Mancipat omnes.          Nullibi fuerat minus experitur          Liber ærumnæ, minor ac homullus.          Mars furit, cunctas hominumq;          (sortes) Arbitræ equat.          Hæc tamen nobis levius ferenda,          Quam voluntatũ miserãda clades       </p>	<p>         Illa nonnunquam reparatur, ast hæc          Tempore nullo.          Pristini status memor heus Amice          Scire conaris graviore nisu          Priscitus quænam fuerit facultas          Recta volendi.          Hanc tibi Spartam, meritamq; laudem          Gratulor. Faxit Deus ut secundo          His queas cursu studijs fruisçi          Fautor amande.          M. Ernestus Mylius.       </p>
---	--

**N**on hederæ extensæ (ceu tritus adagio) poscit  
 Qui se sponte sua vendit, æcessus opem.  
 Hinc non commemoro, ut lustrarit perdius atq;  
 Pernox Beccerus, scripta sacræ Eufebies,  
 Sat probat hicce labor, cui larga Ecclesia debet  
 Præmia, congaudens patria cive suo.  
 Johann.-Balthasar Schuppius Gissâ Hæsus.







31. *Tertium Bellar. argumentum desumptis, quæ docent nos à Deo iuvari in operibus propriè iuvari dicendus non sit, qui nihil agit rat in agendo ut psal. 27. v. 9. adiutor meus est v. 2. Deus in adiutorium meum intende. spiritus adiuuat infirmitatem nostram. Resp. statum controversiæ non attingunt; agitur omnibus de renatis, & à morte spirituali Dei tatis. Renatos vero in vitam revocatos coope quoties concessum est. Vide Theol. 7. 15.*

32. *Adiuvat autem Deus renatos non & connatas excitando, sed novas largiendo quibus deinde cooperantur & actiones spirituales et tamen si loca ex Psal. 27. v. 9. & Psal. 70. v. scutiantur, ipse contextus satis demonstrabit, p non de adiutorio in operibus pietatis, sed de aux rationis ex angustijs propriè & directè loqui. V 3. 5. 7. & Psal. 20. v. 3. 4. Esto autem posse quo tatis referri, sententiæ nostræ id non oberit, cum versæ non sit de renatis sed irrogenitis, ut The*

33. *Quartum testimonium sumit Bellar. ex i cent hominem à Deo vocatum posse non venire. U hominem esse liberi arbitrij convincitur. Loca sunt prov. 1. v. 24. Matt. 23. v. 37. Act. 7. v. 20. Resp. Homo licet non habeat agendi liber & rebus purè spiritualibus; habet tamen eandem minum enim tenebras diligentium opera sunt ma & à peccando cessare nesciunt. 2. Pet. 2. v. 14. Et non possunt bona loqui, Matt. 12. v. 34. concludim gumentum verbis Meis. ex Antrop. disp. 22. state gratiam repudiandi, ad potestatem eam a*

